

sericorde ait : *Deum sibi computat debitorem*, sermon. de Eleemosyn.; et Augustinus, sermon. 18 de Verb. Apost. : *Debitor* (inquit) *nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo*, etc. Et infra : *Possumus exigere Dominum Deum nostrum : Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti, et hoc tu fecisti, quia laborantes iuvisti*. Sic etiam dixit Deo idem Augustinus, libro primo Confession., capite quarto : *Reddis debita, nulli debens*, utique ex te et sine voluntate tua. Sicque dixit Fulgentius, in Prologo librorum ad Monim. : *Sua largitate dignatus est se facere debitorem*. Unde optime dixit de præmio justorum Bernard., libr. de Grat. et liber. arbitr. : *Promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex justitia persolvendum*. Et sic etiam intelligendus est D. Thomas, dicta q. 111, art. 1, cum dicit Deum, cum debitor vocatur, non nobis, sed sibi, suæque dispositioni debitorem esse, est enim id verum, quantum ad radicem seu originem debiti; formaliter autem debitum illud ad eos terminatur, quibus solvendum est; et quando est debitum justitiæ, in eis habet aliquam proximam rationem et causam, ex Dei voluntate et promissione requisitam, scilicet, eorum meritum. Unde in hoc est magna differentia inter debitum promissionis simplicis, vel per modum conventionis æqualis sub conditione operum; nam prior inducit solum debitum fidelitatis, quia in solo actu Dei fundatur; posterior vero, impleta conditione, inducit justitiæ debitum, quia non tantum in veritate Dei, sed etiam in pacto mutuo : Facio, ut facias; vel : Faciam, si feceris, fundatur; servare autem æqualitatem in huiusmodi pactis, opus est justitiæ commutativæ, ut inter homines est manifestum, et, semotis imperfectionibus, proportionalem rationem in Deo habet, et 2 Esdræ 9, dicitur : *Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abraham, et invenisti cor ejus fidele coram te, et percussisti cum eo fœdus, ut dares ei terram Amorrhæi et Jebusæi, et implesti verba tua, quia justus es*.

40. *Ad primam impugnationem in n. 38. — Ad secundam. — Ad tertiam.* — Ad primam igitur impugnationem, respondeo hoc debitum in Deo non provenire ab aliqua lege extrinseca, vel imperante, sed ex integra rectitudine voluntatis divinæ, quæ naturaliter est determinata ad omne id quod honestum est. Sicut etiam debitum fidelitatis et veritatis est in Deo, non ex lege, sed ex natura. Quod autem hoc debitum legale vocetur, jam dictum

est supra non ita vocari, quia obligatio oritur ex lege, sed quia est perfecta obligatio, quam leges et jura custodiunt. Et quicquid sit de nominis impositione inter homines, necesse non est ut illa etymologia in significato formali nominis includatur. Ad secundam, negatur per hoc diminui divinum dominium, sicut non diminuitur per obligationem fidelitatis, vel sicut non diminuitur libertas Dei per immutabilitatem sui decreti. Ad hanc enim immutabilitatem pertinet hæc obligatio, nam quia promisit, et sic promisit, se ipsum negare non potest, et implendo promissum suam voluntatem maxime implet, et sua potestate utitur, prout vult. Unde potestatem integram retinet, non vult autem aliter ea uti, neque unquam volet, quia ita, et sub tali conditione, et ratione, ac honestate decrevit. Ad tertiam, dico repugnare quidem supremum et universalem dominum ab alio virtute ipsius obligari; non autem repugnare obligari in virtute suæ promissionis et pacti. Neque obligatur, quia bonis ejus aliquid accrescat per actionem alterius, sed quia per actionem illam voluntas ejus et conditio, quam in pacto suo posuit, expletur cum sufficienti proportionem et adæquationem ad præmium promissum. Et hoc satis est ad veram rationem justitiæ, quamvis, ut dixi, aliquid ex hac parte diminuatur jus creaturæ, et ideo hæc justitia ex eodem capite aliquid de rigore commutativæ remittat, et ad distributivam accedat, ut sic, et omni umbra imperfectionis careat, et omni ex parte perfectissima sit.

41. *Ultima objectio.* — Tandem instatur, quia patris ad filium, domini ad servum non potest esse vera justitiæ obligatio, præsertim commutativæ; Deus autem est supremus dominus, et pater hominis justis modo specialiori; ergo non potest illi ex vera justitia aliquid reddere. Consequentia cum minori nota sunt. Major est Aristotelis, 5 Ethic., c. 6, et D. Thomæ 2. 2, quæst. 57, art. 4, et ratione patet, tum quia vera et propria justitia est ad alterum; filius autem non est alter a Patre, quia est veluti pars ejus; nec servus est alter a Domino, quia totus est ejus; tum etiam quia quicquid habet filius aut servus, magis est patris aut domini quam suum; et quia debita in bonis computantur, quod debetur filio, aut servo, magis debetur patri aut domino quam illis, atque ita perinde esset patrem, aut dominum obligari filio aut servo, quod obligari sibi, quod quidem in obligatione justitiæ repugnat.

42. *Dissolvitur imprimis.* — *Ulterius dissolvitur.* — Respondeo imprimis argumentum ad summum probare non posse dominum aut patrem obligari a suis correlativis, ita ut ab ipsis obligatio incipiat, ut ita rem explicem, id est, ut filius non emancipatus (ita enim loquimur) dando, vel agendo aliquid in beneficium, servitium, vel obsequium patris, aut rerum suarum, illum ex justitia obliget : idemque est de servo. Non tamen probat quin ex voluntate patris possit intercedere obligatio ad filium, inchoante ipso pacto, seu promissionem sub conditione operis condigni, et idem est de servo : tale enim pactum ex natura rei (quidquid sit de dispositione humanarum legum) validum est, et ex illius complemento ex altera parte obligationem justitiæ in alteram induceret. Et ita sunt Aristoteles et D. Thomas intelligendi, et cessat objectio. Unde ad rationem respondetur, loquendo inter homines, quamvis pater et filius, dominus et servus, consideratione quadam humana seu civili reputentur ut unum, et ideo inter eos non intercedat rigorosa justitia humana, quæ communi modo accepta requirit æqualitatem et omnimodam distinctionem, nihilominus intercedere rigorosum debitum, circa quod altior quædam justitia versari potest, ad quod personarum distinctio sufficit, de quo vide Molin., tract. 1 de Justit., disput. 7. Adde insuper fieri optime posse ut, per pactum vel alium modum, ille respectus conjunctionis separetur, et vera justitia intercedat. Et consequenter in eo casu ex vi pacti debitum patris aut domini ita terminabitur ad alterum, filium aut servum, ut ad patrem, vel dominum non revertatur aut transeat. At vero respectu Dei, quamvis nec inæqualitas contrahentium, nec eorum conjunctio separabilis sit per contractum, vel alio modo, nihilominus ipsa personarum distinctio sufficit ut vera justitia, licet altioris et perfectioris rationis, intercedat. Quamvis enim justitia humana illam conditionem ad alterum in illo rigore postulet, ut in suo gradu plene constituatur, et in divina justitia sive Dei ad hominem, sive hominis ad Deum, cum illa proprietate non inveniatur, nihilominus, absolute loquendo, justitia divina et vera et perfectior est : ex parte quidem hominis, quia excellentius jus Deo servat, et per nobiliores actiones, et propter graviore titulos; propter quod etiam e contrario injuria, quam homo Deo irrogat, graviore ordinis est. Et ideo recte Molina jus inter homi-

nem et Deum, jus simpliciter vocavit, quod ego in dicta disp. de Justit., et tom. 1, in 3 p., disp. 4, late explicui. Hoc ergo jus cum naturarum, vel personarum distinctione sufficit, ut verum pactum possit inter Deum et hominem intercedere, et consequenter etiam vera justitia, licet altioris rationis quam humana sit. Neque illi obstat quod omnia, quæ habet homo, sint Dei, quia etiam sunt ipsius hominis, et Deus voluit se obligare ad communicandum homini talia bona, licet sua sint, et dominium illud a se non separet. Unde illa obligatio sub ea ratione, sicut et divina promissio, vel donatio, ut talis est, ad hominem tantum terminatur, licet in Dei gloriam redundet, quod nihil justitiæ derogat.

43. *Cui merito non ex propria justitia præmium detur, etiam promissum.* — Ex quibus omnibus tandem concludimus, si quæ sunt merita habentia Dei promissionem, ultra eorum valorem moralem, vel condignitatem, illis non deberi præmium ex propria justitia, sed alio modo. Id videre licet in prima gratia justificante et remittente peccatum, quæ contritioni promissa est, et nihilominus non ex justitia, sed ex fidelitate debetur; nec illud meritum est de condigno, ut infra videbimus. Et ratio est, quia ibi non servatur æqualitas quæ ad justitiam necessaria est; et ita manet illa promissio in vi simplicis promissionis, et ex sola fidelitate obligat. Sed de hoc puncto, quia meritum de congruo attingit, in sequentibus ex professo dicturi sumus.

## CAPUT XXXI.

UTRUM IN BEATITUDINE NOVUS GRADUS GRATIÆ AUT GLORIÆ SINE ULLO MERITO DE CONDIGNO ILLIS TRIBUATUR?

1. *Ratio dubii ab axioma Theologorum.* — *Non recte confirmatur dictum axioma ex Bulla Pontificum.* — Solum hoc dubium superest circa præmia de condigno tractandum, et conjungimus gratiam cum gloria, quia gloria essentialis non nisi servata proportionem cum gratia potest connaturali modo et secundum potentiam ordinariam augeri. Ratio autem dubitandi oritur ex quodam Theologorum axioma, quod Deus præmium ultra condignum, et pœnam citra condignum retribuit. Quod quidem quoad posteriorem partem tradidit Magister in 4, distinct. 46, et D. Thomas, 1 p., quæst. 21, art. 4, ad primum; in dicta vero distinct. 46 quarti, quæst. 2, art. 2,

utrumque conjungit, quærens an Deus in hoc semper misericordiam exhibeat, quod punit citra condignum, et remunerat ultra meritum, et respondet his verbis: *Deus semper dat ultra condignum de bonis, et semper mala pœnæ irrogat citra condignum.* Bonaventura vero ibi, art. 2, quæst. 2, dixit in retributione honorum servare Deum justitiam et misericordiam, quia non retribuit, nisi merenti, et supra illud quod meruit, et cum proportione aliud membrum explicat; et fere idem habet Richard., art. 2, quæst. 3; Scotus, quæst. 4, art. 4, cum ultimis verbis solutionum argumentorum, et in 1, d. 17, post q. 3, respondendo ad primam quæstionem, sub § *Sed tunc*, versic. *Respondeo in hoc*, etc. Et idem admittit Cajetanus eidem Scoto respondens, dicta q. 114, a. 3. Et in confirmationem hujus sententiæ solet afferri Bulla Pii V et Greg. XIII, in qua damnantur propositiones Baii, inter quas 14, alias 15, erat: *Opera bona justorum non accipient in die judicii ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio merentur accipere.* Hæc autem propositio, si præcedens et subsequens considerentur, non damnatur quia negaret præmium ultra condignum respectu operum, prout a gratia procedunt, sed quia dicebat ille auctor opera non remunerari secundum valorem, quem habebant ex Spiritu adoptionis et gratiæ, ut in præcedenti propositione dixerat, et repetit in sequenti, et in hoc sensu dicit in illa 15 quod in die judicii non recipient mercedem, nisi juxta meritum, quod ex se et ex bonitate sua morali habent; quod merito damnatur, quia nimium ad Pelagianum dogma accedit. Et ideo illorum Pontificum judicium nihil ad præsentem causam facit.

2. *Fundatur tamen in Patribus.* — Habet tamen axioma illud Theologorum in Sanctis Patribus fundamentum. Nam Gregorius, in Psalm. 142, qui est septimus Pœnitentiæ, circa illa verba: *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam*, per *mane* intelligit diem æternitatis, vel extremi judicii, in quo justi vocem illam audient: *Venite, benedicti Patris mei*, quam dicit esse vocem misericordiæ; et statim objicit: *Quod si illa Sanctorum felicitas misericordia est, et non meritis acquiritur, ubi erit quod scriptum est: Tu reddes unicuique secundum opera sua?* Et respondet illam gloriam dari quidem secundum opera, sed excedere opera, et in hoc esse misericordiam. *Illi enim beatæ vitæ nullus* (inquit) *potest æquari labor, nulla opera comparari, cum Apostolus*

*dicat: Non sunt condignæ*, etc. Quamvis statim addat aliud responsum, quod illa gloria dicitur misericordia, quia pro illis operibus datur, quæ sine præventu misericordiæ Dei nemo assequitur. Simili fere modo loquitur Fulgentius, l. 4 ad Monim., cap. 20, tractans locum Pauli Roman. 6: *Gratia Dei vita æterna*, post expositionem Augustini, quod gloria dicitur gratia, quia meritis gratiæ redditur, addit: *Gratia autem etiam non injuste dicitur, quia non solum donis suis Deus dona sua reddit, sed quia tantum etiam ibi gratia divine retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamvis bonæ ex Deo datæ voluntatis, atque etiam operationis excedat.* Quod confirmat ex illo Roman. 8: *Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam*; et secundæ Corinth. 4: *Quod momentaneum est, et leve, etc.*; et Hilarius, in Psalm. 51, in fine, exponens illud: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei speravi in misericordia tua super vitas*, dictum esse ait: *Quia quamvis probabilis per justitiæ operationes vita justorum sit, tamen per misericordiam Dei plus meriti consequetur.* Ad hoc etiam videtur alludere Basilius, homilia in Psalm. 14, nam exponens verba illa: *Misericors Dominus, et justus*, inquit: *Ubique Scriptura miserationibus Dei justitiam conjungit, nos plane erudiens quemadmodum nec misericordia Dei sine judicio, nec judicium sine misericordia sit. Sed cum miseretur, etiam cum judicio miserationes, suas iis qui digni sunt, admensuret, et cum judicat, commensuratum quoque nostræ infirmitati judicium inserat, benignitatis nos affectu, potius quam æqui compensatione nos plectens, ubi de retributione pœnarum loqui videtur, sed est major ratio de præmiis: unde inferius circa illa verba: Convertere, anima mea, in requiem tuam: Manet (inquit) requies sempiterna illos, qui in hac vita legitime certaverunt, non tanquam debitum operibus redditum, sed ob munificentissimam Dei gratiam, in quo speraverunt, exhibita.* Ubi certe non negat justitiam præmiorum, sed abundantiam, et excessum confirmat. Bernardus etiam, sermone primo de Annuntiat., eodem modo loquitur, et in eodem sensu videtur intelligendus, ne illi error tribuatur. Ait enim unumquemque credere debere, *quod æternam vitam nullis potest operibus promereri, nisi gratis detur, et illa*; ubi verbum *operibus*, stricte et rigore accipiendum est, ut a gratia distinguitur. Et in eodem sensu subdit: *Neque talia sunt hominum*

*merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Id vero explicans concludit: *Nam ut taceam quod merita omnia dona Dei sunt, et ita homo propter ipsa magis Deo debitor est, quam Deus homini, quid sunt merita omnia ad tantam gloriam.* Adde Chrysostomum, homilia 37 in Genes., dicentem, *Deum immensam suam liberalitatem in eo nobis ostendere, quod vel minimis operibus provocatus, nos absque mora magnis donis remunerat si fidem sinceram et munitam mentem habeamus.*

3. *Opinio prima in hoc capite affirmans.* — *Confirmatur primo ex Scriptura.* — *Confirmatur secundo ex conjecturali ratione.* — *Belarmini limitatio.* — Propter hæc dixerunt aliqui Deum, in remuneratione justorum, præter omnes gradus gloriæ, qui eorum meritis de condigno respondent, alios ex sola sua munificentia superaddere. Ad quod consequens est ut dicere etiam teneantur, ultra omnem intensionem gratiæ, quam in via homo habuit, et ultra omne illius augmentum, quod viator promeruerit, ex pura Dei liberalitate novum ac peculiare augmentum per aliquot gradus intensionis ex sola Dei liberalitate recipere, ut hoc modo gratiæ gloria commensuratur. Atque in hoc sensu intelligunt illud axioma, quod Deus præmiat ultra condignum, illudque nonnullis Scripturæ testimoniis confirmant. Præcipuum est illud Lucæ 6: *Mensuram bonam, et conferatam, et coagitatam, et superfluentem in sinum vestrum.* Nam per hæc significari videtur mensuram gloriæ, non tantum æqualem meritis, sed superabundantem futuram esse. Et fortasse ideo, Matthæi quinto, *copiosa merces* appellatur. Et hæc testimonia pro omnibus beatis facere videntur. Et potest addi conjectura, quia decet magnificos vel liberales reges, ultra promissum vel æquale stipendium, aliquid liberaliter conferre strenue militantibus, aut laborantibus. Addit vero Belarminus hoc auctarium ultra condignum non dari ex æquo, neque omnibus beatis, idque confirmat, tum ex parabola vineæ, ubi dominus jussit integrum denarium dari non per integrum diem laborantibus. Quod non ex justitia, sed ex liberalitate fecisse ostendit, cum dicit: *An non licet mihi quod volo facere?* etc.; tum ex alia parabola talentorum, ubi, ei qui strenue negotiatus fuerat, ultra condignum præmium significatum per imperium in decem civitates, datur liberaliter talentum, quod ab alio negligente fuerat ablatum. Et

hic etiam addi potest congruentia, quia, ut Deus se ostendat supremum dominum, qui legibus justitiæ non arctatur, neque ea tantum reddit bona quæ meritis debentur, neque eandem liberalitatem cum omnibus exercet, sed sicut vult.

4. *Assertio prima.* — *Assertionis ratio bipartita.* — *Prima pars probatur.* — Ego vero in hoc puncto, imprimis censeo non posse cum fundamento affirmari justis plene purgatis in primo suæ glorificationis instanti dari aliquos gradus intensionis gratiæ, aut gloriæ mere gratis, et ultra omne meritum quod justus in via habuerit. Ut hoc probetur, circa gratiam imprimis abstinendum est ab aliis quæstionibus, an gratia per peccatum perdita tota restituatur statim, quando peccatum remittitur, et an homini merenti augmentum gratiæ, statim in via totum tribuatur, vel aliquod in ingressu patriæ dandum reservetur; hæc enim nihil ad præsens referunt, dummodo asseratur dari per modum præmii nondum soluti, hoc enim est quod præcipue intenditur. Quia vero non credimus totum augmentum gratiæ, quod quis promeretur, statim ei dari, et si quod forte peccando amisit, cum reviviscit, statim restitui, ideo absolute dicimus non posse cum fundamento affirmari in ingressu patriæ aliquos gradus intensionis gratiæ gratis superaddi, sive omnibus, sive aliquibus beatis. Et hoc est quod præcipue docuit Vega, q. 5 de Justific., ad 2, et sentiunt alii infra citandi. Et probatur, quia donatio talis augmenti gratiæ opus est mere supernaturale, et pendens ex libero beneplacito voluntatis Dei; sed hæc voluntas non potest ratione ostendi, ut per se notum est, quia ex nullis principiis fidei necessario colligitur, neque etiam est nobis revelata, vel in Scriptura, vel ex Patrum traditione; ergo. Prior pars probatur, quia ex principiis fidei duas tantum habemus vias comparandi gratiam sanctificantem, de qua tractamus, scilicet, aut sacramenta, aut opera ex gratia facta, quæ vel ad primam gratiam comparandam sufficienter disponant, vel illam jam comparatam meritorie augeant, ex quibus principiis nihil profecto de augmento gratiæ in statu gloriæ colligi potest.

5. *Secunda pars ostenditur explicando loca Scripturæ in contrarium.* — Altera vero pars de revelatione, seu testificatione authentica et immediata illius dogmatis, seu augmenti, quantum ad Patres spectat, probabitur statim in n. 17, explicando prius axioma illud

de redditione præmii ultra condignum. Quoad testimonia vero Scripturæ facile probari potest. Quia vero illa testimonia, quæ adducuntur, de mensura beatitudinis loquuntur, supponimus eandem esse rationem de beatitudine seu gloria, quæ de gratia, quia, ut sæpe dixi, hæc servant inter se proportionem. Unde, si gratia viæ non augetur gratis in ingressu patriæ, neque visio major datur, quam respondeat gratiæ in via obtentæ; et ita nullum augmentum beatitudinis gratis superadditur. Item si habitus gratiæ non crescit, nec habitus charitatis crescit; ergo nec amor beatificus est intensior quam habitus; ergo neque lumen gloriæ aut visio intensiora sunt. Jam ergo probatur, ex testimoniis Scripturæ allegatis non colligi tale beatitudinis augmentum. Nam imprimis beatitudinis præmium, etiamsi non excedat rigorem meritum de condigno, dici potest *mensura bona, conferta, coagitata, et supereffluens*, vel eo modo quo ad Rom. 8 dicuntur passionibus hujus vitæ non esse condignæ ad futuram gloriam, utique vel comparando præmium ad opera secundum se spectata, vel comparando ea secundum id quod formaliter habent, scilicet, durationem unius cum duratione alterius, perfectionem operum viæ cum perfectione actuum patriæ, aut dolorem viæ cum gaudio beatitudinis. Sic enim mensura præmii nimium supereffluit in esse rei (ut sic dicam), licet in esse præmii non excedat meritum; vel etiam dici potest illa mensura coagitata, etc., quia, cum in præmio justo possit esse latitudo (ut supra dicebam) intra quamdam moralem æqualitatem, reddet Deus præmium summum intra illam latitudinem, etiamsi nihil illius ultra condignitatem et præmium justorum conferatur. Quia promissio facta justis bene operantibus cum illa munificentia et perfectione facta est. Et hoc etiam satis superque est, ut justorum merces copiosa in cælo esse dicatur. Est enim copiosa tum in excellentia perfectionis absoluta, quam in esse rei habet, tum comparatione ad opera meritoria secundum formalem eorum perfectionem, tum denique intra latitudinem justæ mercedis in supremo gradu confertur, modo explicato. Et hanc expositionem indicant, qui verba illa non tantum de præmiorum, sed etiam de pœnarum mensura interpretantur, quia illa erit etiam cumulata, si cum operibus hujus vitæ formaliter comparetur, ut ibi ait Theophylactus.

6. *Enucleatio alia locorum Scripturæ.* —

Addo etiam in his locis sæpe tantum indicari excellentiam operis, propter magnitudinem præmii dandi propter tale opus, ut dicto cap. 6 Lucæ, de his qui propter Christum multa et gravia mala patiuntur, dicitur: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo*. Et de his sermo est Matthæi quinto, cum eis copiosa merces promittitur. Et similiter in eodem Luc. 6 de diligentibus inimicos, et de iis qui aliis bene faciunt, nihil ab eis sperantes. In quo solum significatur talia opera esse valde perfecta, idque a posteriori ex magnitudine præmii ostenditur. Quod tamen non dicitur magnum aut multum, quia aliquid ultra meritum gratis addatur, hoc enim perfectionem operis non ostenderet, sed liberalitatem dantis. Dicitur ergo, quia comparatione aliorum operum illa habebunt majora præmia. Et eodem modo illud de mensura bona, conferta, etc., referri potest non ad præmium omnium operum absolute, sed illorum quæ ibi Christus commendabat, nimirum: *Dimittite, ut dimittamini; date, et dabitur vobis*, et similia, quæ comparatione aliorum meliorem præmii mensuram habent. Et juxta hunc sensum tacite exposuit Maldonat., in Luc. 17, vers. 10, verba illa capituli 6, *mensuram bonam*, de cumulo præmio, quod non tantum præcepta, sed etiam consilia observantibus retribuetur. Alii vero omnibus illis verbis nihil aliud quam excellentiam præmii cœlestis, comparatione omnium terrenorum bonorum ac præmiorum, significatam esse putant, quod plane sensit Augustinus, lib. 2 Quæst. Evangel., quæst. 8, et sequitur ibi Maldonatus, et Jansenius, cap. 43 Concord., qui ita exponit: *Dabitur vobis copiosissima et abundans remuneratio, proportionata tamen vestræ liberalitati. Ad hoc enim significandum, remunerationem vocavit mensuram*. In quo ultimo verbo indicat, ex ipsamet metaphora qua Dominus utitur, colligi per illa verba noluisse liberalem aliquam donationem ultra remunerationem condignam significare, sed excellentiam et abundantiam præmii, intra mensuram vero aliquam justæ remunerationis, exaggerare voluisse.

7. *Enodantur etiam parabole Scripturæ.* — Neque plus probant adductæ parabole, circa quas imprimis adverto, etiam si quis voluntarie asserere velit, dari sanctis in patria aliquod gloriæ augmentum, ultra id totum quod ex meritis debetur, imprimis non de quibusdam tantum, sed de omnibus id asserere oportere, alias nimis esset voluntaria et

singularis assertio, tum quia Theologi dicentes Deum præmium dare ultra condignum, non de quibusdam, sed de omnibus quibus illud præmium datur, affirmant; tum etiam quia, si quæ est conjectura ad id asserendum, ex munificentia et largitate præmiantis, quæ ad omnes beatos generalis est, sumitur. Deinde consequenter oportebit etiam asserere illum excessum nec esse æqualem in omnibus absoluta æqualitate, nec dari inæqualiter solo arbitrio, et sine ullo respectu ad opera, seu excellentiam sanctitatis, sed esse inæqualem simpliciter cum quadam æqualitate proportionis. Ita docui in primo toto primæ partis, tract. 2, lib. 2 de Attribut. negativ. Dei, cap. 20, num. 14, et notavit Vega, et quidem prudenter et valde consentaneæ ad Scripturas, docentes unumquemque hominum recepturum gloriam secundum opera sua, quæ in rigore significare videntur nihil gloriæ, nisi ex meritis, dari his qui secundum opera judicantur; si tamen admittatur aliquod aliud augmentum, credendum est dari etiam cum aliqua proportionem ad opera, ut proprietas et veritas illorum verborum melius subsistat, nam unicuique dabitur majus aut minus liberale augmentum secundum proportionem ad majora vel minora merita. Ex his ergo colligo non posse parabolas supra adductas de illo excessu gratuito in præmio in bonis beatificis intelligi, cum ex illo sensu inferatur hoc augmentum non omnibus dari, neque cum aliqua proportionem, vel respectu ad opera, sed quibusdam, et pro solo Dei arbitrio; ad hoc enim probandum parabole sic expositæ inducuntur; illa autem distributio Dei ita voluntaria non pertinet ad gloriam, sed ad gratiam, non in statu beatitudinis, sed viæ. Et ita communiter parabole illæ exponuntur.

8. *Parabole de vinea amplior expositio.* — Atque ita late in 1 p., tract. 2, l. 2 de Attribut. negat. Dei, c. 20, a n. 8, exposuimus parabola de mercenariis laborantibus in vinea, tempore et labore inæquali, et postea integrum denarium recipientibus; et ostendimus eos nec recepisse æquale præmium, nec eos, qui majus præmium receperunt, gratis, et non juxta proportionem meritum, illud recepisse, quamvis ex inæquali gratia, in hac vita laborantibus concessa, orta fuerit. A qua etiam oritur, ut in minori tempore, vel cum inæquali etiam externo labore majus præmium aliquis promereatur. Et ita verba illa patrisfamilias: *An non licet mihi quod volo*

*facere?* licet propter denarii æqualitatem seu præmii inæqualitatem dicta videantur, nihilominus propter radicem gratiæ dicta fuisse, et ita intelligenda esse, quia inde orta fuit distributio, seu solutio stipendii, de qua mercenarii conquerebantur, quorum os voluit patrisfamilias uno verbo obstruere, et ideo ita respondit, quamvis revera tota ratio dandi talem mercedem, et tali modo, ex gratia, a qua merita præcipuum valorem habent, dimanasset. Idem evidentissimum est in alia parabola de talentis apud Matthæum, seu de minis apud Lucam; quia per talenta, non dona gloriæ, sed gratiæ, quæ in via dantur, significata sunt, sive illa sint gratiæ gratis datæ, sive gratum facientis. Nam illa talenta data sunt ad negotiandum et merendum, et juxta bonum illorum usum præmia data dicuntur; ergo talentum ablatum a servo pigro et otioso non fuit talentum gloriæ, sed gratiæ. Quod autem additur, illud talentum datum esse alteri, qui strenue negotiatus fuerat, Maldonatus exponit non oportere ad litteram accommodari ad rem per parabolam intentam, nimirum, gratiam Dei dari, ut per illam mereamur, et unumquemque accipere præmium, juxta opera ex gratia facta; qui vero gratia bene non utitur, illa ejusque præmio privari. Quod autem illa gratia detur alteri, nec necessarium est, nec id videtur facere Deus; tamen, quia homines solent id facere, quasi ad materiale complementum parabole id adjectum est. Dico vero quod, licet necessarium non sit ab uno gratiam auferre quando vult alteri dare, solere nihilominus quando unus male utitur donis suis, præsertim ad aliorum utilitatem datis, illum abjicere, et loco illius alium assumere qui bene et utiliter gratiam ministret, et hanc gratiam sæpe addit alteri, qui jam multa bona receperat. Utcumque vero id explicetur, sermo est de dono gratiæ in hac vita dato ut principio merendi, non de augmento gloriæ, et ideo nihil ad rem præsentem parabola facit. Nec invenio aliquem qui parabolam illam aliter intellexerit.

9. *Assertio secunda.* — *Vazquez aliter sentire videtur.* — Unde dico secundo: verisimilius multo est nec gratiam, nec gloriam dari liberaliter in patria ultra omnia merita. Ita sensit Vega, quæstione quinta de Justification. ad secund., ubi de opposita sententia solum ait gratis dici. Idemque videtur sensisse Vazquez prima secundæ, disputatione octava, capite secundo, numero decimo, quatenus ait gra-